



DE
EXHEREDATIONE LIBERORVM
AD ALIAS CAVSAS, IN
NOV. CXV. NON EXPRESSAS
EXTENDENDA.

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. XXIV. MART. AN. MDCCCLXXXI.

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVLARI

CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ASSËSSORE

FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORE

ET ACADEM. DECEMV.

A D D I S P V T A N D V M

PROPOSVIT

CAROLVS GOTHOFR. THEODORVS
CHLADENIVS

HAYNA-MISNICVS.

LIPSIAE,

PRELO HOLLIANO.

Celeberrimo Breitkopfio.

VIRO ILLVSTRI
ERNESTO MARTINO
CHLADENIO

SERENISSIMI ELECTORIS SAXONIAE
A CONSILII AVLAE ET IVSTITIAE
CVRIAE PROVINCIALIS VITEMB. ET SCABINATVS
ASSESSORI,

CONSISTORII ECCLESIASTICI NEC NON
ORDINIS ICTORVM DIRECTORI ET
SENIORI SAPIENTISSIMO

AGNATO OMNI QVA PAR EST
PIETATE VENERANDO,

ACADEMICVM HVNC LIBELLVM

DEDICAT

AVCTOR

VIR MIHI SVMME
VENERABILIS,

VIRI O IDEST
ERNESTO MARTINO
CHLADENIO
RECTORI UNIVERSITATIS
A CURIA SACHS. ET
C.

Timida, et quasi cum flammeo incedit haec
Disputatiuncula, quoniam ipse eam non
fatis dignam Summorum in Iurisprudencia Viro-
rum iudico; conscius enim mihi bene sum, me
nec diffusa in auctoribus Iuris civilis lectione, ne-
que ingenio cum iis esse comparandum. Miraris
itaque TVVM nomen huic opusculo praepositum;
sed non e longinquo petendae sunt, quae me mo-
verunt causae, ut TIBI hoc exile ac leuidentse
Specimen academicum submittam; necessitudinis
enim vinculum, et inaeestimabilis TVA in me be-
neuolentia a me iure postulare videntur. Non
accipis

accipis scriptum elegantioris Iurisprudentiae do-
ctum, cuius haud pauca ex TVO calamo prodie-
runt, e quibus (taceo Iuris publici agnationem)
oratio panegyrica in bibliothecae Zalufciae dedica-
tionem TE perennat; quae iis, quibus censendi
facultas permiffa fuit, adeo vsque arrifit, vt
licet octuaginta de palma TEcum contenderent,
principem tamen TEinter rei illius litterariae prae-
cones fuis calculis facile adfcripferint, quibus verbis
principales codicilli ad TE dati gloriam hanc con-
gratulantur. Non legis eiusmodi fcriptum, ex quo
TVVS filius imitator TVI feliciffimus putatur.
Attamen intelligis voluntatem TIBI meum in TE
ftudium luculentiffime fignificandi. Et, quamquam
hic libellus nec argumento neque alia dignitate fe
commendat, tamen, quoniam TV ad omnem hu-
manitatis partem natus es, fpero confidoque, TE
etiam modica fpernere non poffe, TEque in pri-
mis huius fcripti aequum cenforem effe futurum.
Verba defunt, quanti TE faciam aestimemque de-
clarandi, TVAque merita in Rem publicam et
Iurisprudentiam laudibus illuftrandi, quod iam illu-

strem TE reddidisti. Nihil itaque mihi reli-
quum est, quam ut Deum O. M. implorem, ut
TE Patriae et Vniuersitati litterarum Vitembergensi
quam diutissime seruet, corpus nouis viribus ornet,
firmet atque corroboret. Quod me attinet, nihil
magis habeo in votis, quam ut me eo fauore, quo
me ad hoc tempus usque ornare non dedignatus
es, in futurum prosequi velis, quippe qui sum

VIR ILLVSTRIS,
EXCELLENTISSIMI NOMINIS
TVI

Dab. Lipsiae,
a. d. XX. Mens. Martii.

A. R. S.

c. b. CCLXXXI.

cultor indefessus.



DE
EXHEREDATIONE LIBERORVM
AD ALIAS CAUSAS IN
NOV. CXV. NON EXPRESSAS,
EXTENDENDA.

Praeterlapso curriculo academico, cum in eo sim,
vt viam mihi ad praxin in foro exercendam mu-
niam, et ipsa res postulet, vt publicum qualiumque
profectuum meorum specimen edam, elegi mihi argumen-
tum ex doctrina hereditaria: Ne vero, repetendo ea, quae
in Systematibus et Commentariis ICtorum copiose expo-
nuntur, Lectori molestiam taediumque parem, ea quidem,
quae vbiuis obuia sunt, nisi forte propter seriem rerum at-
tingenda videantur, praetermittam, sed magis, quatenus
vires permittunt, singularia quaedam, ad hoc argumentum
spectantia, edisseram, omnem in eo collocaturus operam,
vt praestem id, quod instituti ratio a me postulare videatur.
Si id effecero, vt vtilitate non plane sua destituatur libellus,
voti mei compotem factum esse, vehementer laetabor.
Hac spe fretus rem ipsam aggredior.

II

Mire dissentiant Icti in decidenda quaestione, an praeter XI.V. causas in Nouella CXV. C. III. enarratas, similes et maiores admitti queant. Pars in eam proclivis est sententiam, exheredationem ex aliis causis constare non posse, quoniam verbis Iustiniani mordicus inhaerent. In hac quidem classe agunt VI GLIUS ^a), CONNANVS ^b), BRONCHORSTIUS ^c), WESENBECCIUS ^d), STRVIVS ^e), WERNHERVS ^f), aliique qui ab his allegantur. Pars vero penitius inspiciens materiam, confirmat omnino similes grauiioresque causas admitti posse, cui sententiae inter alios accedunt DONELLVS ^g), OBRECHTVS ^h), BESOLDVS ⁱ), VOETIUS ^j), LEYSERVS ^k) et BERGERVS ^l), nec non HVBERS, qui dissentientibus non sine argumentorum pondere obloquuntur. CARPZOVIVS etiam noster est, vacillans autem nunc huic, nunc illi parti fauet. Alio enim loco disertis verbis concordem esse opinionem interpretum ait, sed alio loco contrariae subscribit opinionem. In tanta opinionum varietate medium tenuisse iuuabit, reiiciendo eos, qui nimis stricte Nouellam explicant, et nimis mentem extendunt. Admittimus nempe causas, non quae alterius generis, sed quae re et effectu, seu intellectu iuris atque vsu sermonis, eadem et sub ipsis verbis comprehensae sunt.

- a) VI GLIUS *ad Inst. h. t.*
- b) CONNANVS *9. Comm. C. XII.*
- c) BRONCHORSTIUS *Enant. Cent. III. Aff. 6.*
- d) WESENBECCIUS *parat. b. t. n. 5.*
- e) STRVIVS *exerc. 32. Th. 33.*
- f) WERNHERVS *Observ. CXLI.*

- g) *6. Comm. 12. circ. fin.*
- h) *D. 20. 3. 752.*
- i) *Delib. Iur. ad n. l. 5. p. 26.*
- j) *Comment. ad n. L. V. tit. 2.*
- k) *Med. ad n. Sp. CCCXLVIII.*
- l) *Oecon. Iur. t. de exhered.*

III

Plerique verba Imperatoris, in quibus sancit nullas alias causas excogitari debere, ita interpretantur, vt aperte similes et atrociores in eodem genere non excludantur, sed leuiores aut toto genere diuersae, quaeque non sunt liquido grauior^a). Nullo enim modo est existimandum ea fuisse mente Iustinianum, vt rem absurdissimam contraque sanam rationem militantem statueret. Parenti scilicet licere filium exheredare, certa de causa non valde graui, verum si multo aduersus eum peccasset filius, non licere. Sane ex hoc intelligitur, quod docet BACHIVS^b), omnino consentaneum esse rationi extensionem in hac materia odiosa exheredationis admittere, addita ratione, longe habendum esse odiosius, vt sceleratus filius admittatur ad bona patris, et vt habere cogatur filium talem heredem; inprimis fauorabile esse: vt poenae delictis dignae irrogentur. Ad haec Iustinianum nimis generaliter dixisse, constat, inter alia exempla in ipsa Nouella, modos omnes insidiarum assequi aut enumerare nolens, si vita parentum suorum *aut alio modo* insidiari filius tentauerit. Quae manifestior esse potest extensio, quam quae ista oratione indefinita *aut alio modo* continetur, est comprehensa.

a) WERNHERVS *Obs. CCLI. quam quidem a nobis dissentit tamen non in inficias similes vel maiores admitti posse.*


b) *ad WESENB. parat. s. XXVIII. T. II.*

IV

Omnino errare igitur patet eos, qui, dum odiosa non esse extentenda hanc extensionem iustis e causis factam

B

odio-



odiosam arbitrantur, nisi pari ratione poenas omnes odiosas putent fontibus decernendas, quas certe maleficis imponi magna utilitatis publicae ratio suadet, quasque posita delicti similitudine, etiam locum inuenire indubium est. Favorabilioribus negotiis quidem benigna interpretatione praeter strictam iuris rationem iuuandis ac conferuandis, annumerari non oportere exheredationem, vti quidem iuatur institutio SCAEVOLA ET PAVLVS aiunt. *l. cum quidam. π. de liber. et postb.* Sed nulla sequela est, eam ergo odiosam esse eo sensu, vt ad familia non pateretur extensionem. Quin potius iis accensenda, quae generalis iustitiae suffulta fundamentis nec fauorem peculiarem nec odium proprie loquendo merentur. Poenam scilicet naturam habet, imo ingratitudinis commissae poena est.

V

Ita in vniuersum negari non potest, sub causa, si filius parentibus grauem iniuriam fecerit, vt ait Iustinianus, plures, quoniam extensionem et explicationem per species admittit, cui sententiae post ALEXANDRVM IASONEM annuit MENOCHIVS ^{a)} aliique ^{b)}. In graecis legitur *ἐ βαρύνειν καὶ ἀπειρή ὕβριν αὐτοῖς ἐπαυράτοι*. Vetus interpres: si grauem et inhonestam iniuriam ingesserit. HALOANDER, aut (legit enim η , non ϵ ;) atrocem et indecentem contumeliam ingesserit. Et HOMBERGK: si grauem et indecentem contumeliam eis intulerit. Sed quomocumque veritas, quin ὕβρις vox est generalis, et nunc quamcunque iniuriam, nunc contumeliam significat, negari nequit, quin ad omnes causas porrigi possit ^{c)}. Sic eadem est iniuria; si domum paternam vi introierit *arg. l. 5. π. de ini. si secundum l. 9. π. de ini.*

ini. vestimentis patris scissis patrem habeat ludibrio: si nihil debentem vexandi gratia in ius vocet. l. 13. c. 3. eod. Si levatis manibus saepe parentem terruerit l. 15. §. 1. π. de ini. His casibus an satis grauis videatur iniuria ad exheredationem, arbitrio iudicis aestimabitur, cum infinitis circumstantiis variari possit.

a) MENOCH. 2. arb. iud. 267.

b) BERGER. *Oec. et Resol. L. Lib. V.*

c) BYNCKERSH. *Obs. L. V. T. IV.*

VI

Ad grauem iniuriam vt certam aliquam regulam poneret BERGERVS, inprimis obiectionem criminis contra leges refert. Sed possunt et e sententia quorundam Ictorum *) magni nominis graues esse, quae nullum crimen continent. Si nempe filius patrem *eine nüchtwürdige Cänaille, einen Sacramentschen Hundsfott, alten Teufel, vel alien Donner*, appellauerit. Quale Responsum tulerunt ICTI Helmstadienses, cum pater quidam filium nec non filiam a Successione in bona excluderet. Licet vero filia in reprobatione bene moneret, has iniurias *du alter Teufel und alter Donner* ad exheredationem non esse graues, tamen tenor iudicati hic: *Alldieweil aber die Worte nicht anders als pro graui und inhonesti iniuria, dergleichen die Rechte ad exheredationem erschtern, geachtet und durch die boese Gewohnheit, welche das Crimen nicht verringert, sondern ob frequentiam actuum schwerer macht, nicht entschuldiget werden kan; so halten wir dafür, daß die eingesetzte Erben die von Vater im Te-*

B 2

flawent

stament angeführte Enterbungs-Ursachen hinlaänglich erwiesen.

**) LEYSERVS Med. a. D. Sp. CCCLVII.*

HOMMEL, Rbapf. Olf. CCCCLXXXIII.

VII

Quamquam Ius patrium Nouellam Imperatoris profus sequitur, ac praeter ibi denominatas alias alligari non patitur; quod ex Decisione Elect. LII. perspicuum est, tamen non omni exceptione destitutum est. Sicut enim non magis quam Nouella, causas atrociores in genere v. c. concubitus cum Matre aut Patre excludere voluisse videtur, ita nec per eam derogatum fuit Ordine matrimoniali **)*, quae liberos sine consensu parentum nuptias contrahentes a parentibus vsque ad dimidium aut simpliciter exheredare permittit, ita quidem, ut, si consummatio sponsaliorum citra consensum parentum per concubitus facta fuerit, a tota legitima portione, si per sacerdotalem benedictionem a dimidia tantum eius parte excludi queant.

**) Mand. Zabels. d. d. 10. Nov. 1684. in Cod. Aug. T. I. p. 1020.*

VIII

Hac exceptione quoque nititur causa iusta exheredandi filium obaeratum, frustra quibusdam dissentientibus, quae etiam ex doctrina LEYSERI fuit. Nam ista Nouella, quae de exheredatione ex capite ingratitude, seu ut vulgo

vulgo non fatis commode appellatur, malae mentis, tantum agit, ad exheredationem, quae bona mente fit, non pertinent. Hanc iura nostra simpliciter permittunt in *L. 47. de bonis libere*. Exempla vero in aliis legibus memorata, legem generalem non restringunt, sed potius illustrant, quod voce *vs puz* quae in *l. 13. de lib. et postb.* posita reperitur, fatis apparet. Recte itaque Scabini Lipsienses veteres apud *CARPZOVIVM* exheredationem filii obaerati approbarunt, quam in sententiam *ICTI* Helmstadiensis ita pronunciarunt: *Dafs der Klaegere Suchen wegen der mütterlichen Erbschaft nicht statt habe. Rat. dec. Ansaenglich haben wir die Klaegere mit ihrem an die mütterliche Güter gemachten Ansprüche abgewiesen, in Erwegung, dafs den Eltern ihre in Schulden vertiefte Kinder bona mente zu exherediren frey stehet, und denn die verstorbene Mutter solches gethan.* Sic et similes teste *SCHILTERO* et *LYNCKERO* in Saxonia admittuntur causae.


LEYSER, Med. Sp. CCCXLVIII.

IX

Non tangam in praesentia distinctionem in exheredationem, quae bona et quae mala fit mente de qua *CARPZOVIVS* multa dixit, et eius effectum partim ex legis dispositione partim ex vsu et obseruantia probare studet. Id tandem dixisse mihi liceat, omnem exheredationem bona fieri mente, ex quo tota corrui distinctio, et quod Doctores magna cum solertia defendunt, tantum inuoluit lusum verborum, et id efficit ut gloriam noui aliquid dixisse, adipiscantur. Exheredatio

B 3

datio



datio etenim liberorum praesupponit causam a filio commissam, quae commouet patrem, ut eidem poenam condignam imponat. Cum igitur poena sit malum passionis propter malum actionis ad id, ut euitetur concursus facinororum, non video malam mentem, potius pater qui salutem Reipublicae et auctoritatem legis conseruat et liberos morigerosos ad meliorem reducit frugem bona imo optima agit mente, alias enim sequeretur, quod iudex, qui poenas legibus determinatas in delinquentibus exercet, ageret mala mente; quod tamen nemo, saluis sanae rationis principiis defendere poterit.

X


His praemissis non officit veteres Ictos id discrimen approbasse. Ait enim *l. 12. §. 2. π. de bon. libert.* *Si quis non mala mente parentis exheredatus sit, sed alia ex causa exhereditatio ipsi non nocet, cum et quo conuenire videtur l. 25. Cod. de inoff. test.* Mater nempe, quae de mariti moribus secus suspicabatur filios sub hac conditione, si a patre emancipati fuerint heredes instituebatur, disceptatio mouebatur, vtrum hoc valeret, respondit Imperator patrem, qui conditioni non optemperauit, bonorum possessionem cum re accipere non videri, neque ei nomine filiorum inofficiosi eo modo actionem posse competere, quibus nullam iniuriam fecerit mater sed potius putauerit prouidendum. Exinde Interpretes praesidium inuenisse credunt, quod opinionem circa hanc distinctionem conceptam probat. Ast re paulo penitus perspecta apparebit leges quae ita sentiunt,

tiunt, non de exheredatione propria, sed de impro-
pria, quae abusuue talis, dicitur, differere. Omnis
enim exheredatio uti paulo ante demonstraui praesuppo-
nit delictum eius qui hanc sentit poenam. Hinc inde
Nouella CXV. C. III. certas exempli loco recensuit cau-
sas ingratitude; in ea vero exheredatione quae bona
mente fieri dicitur, delictum quae causam exheredandi
praebet penitus deficit.

XI

Vnum adhuc restat. Ingratitudinem a liberis paren-
tibus illatam, remitti posse vix indubium vocari poterit,
cum patris arbitrio leges relinquunt, vtrum iniuriam
vindicare velit, nec ne. Sed vtrum sola remissio, quae
vel verbis expressis vel factis fieri solet, sufficiat lis
mouetur. Nonnulli negant, nisi testamentum, quod ex-
heredationem continet, sit mutatum. Rationem ita sen-
tiendi eam adfirmant, quod omnes remissiones arctioris
interpretationis et actione iniuriarum remissa non sequa-
tur, ut etiam exheredationis poena sit remissa. Sed du-
bito vtrum haec ratio hoc in casu decisionem causae
efficiat. Verum equidem est, quod remittens iniuriam
non tollere queat poenam delinquenti condignam, quate-
nus de interesse publico agitur, pactis enim priuatorum
iuri publico haud derogari potest, aut si poena vindi-
ctam priuatam inuoluit quae ab arbitrio iniuriati depen-
det, hoc omnino nego. Dic mihi quaeisio rationem,
cur mutato testamento tantum remissionem iniuriae, quae
exheredationem promeretur, colligis. In promptu erit
responsio, quoniam de voluntate patris liquido constat.

Exinde



Exinde construo regulam: Quotiescunque de voluntate patris non est dubitandum, toties remissa dicitur iniuria. Si igitur filius per litteras, vel per testes, vel ex factis, quae nullum admittunt dubium, patrem ut non valeat exheredatio, voluisse probet, toties etiam si testamentum non sit mutatum exheredatio infirmatur, et filius exheredatus ab intestato succedit. Contingere enim potest ut pater inopinata morte impediatur, ne voluntatem ultimam mutet, an credas hanc casum praeiudicare filio, cui pater remisit iniuriam et eo ipso illam a poena priuationis liberarit? Cui accedit quod exheredatio praesupponit causam, qua deficiente, quae vero, cum de remissione iniuriae constet, sane deficit, cessat effectus, exinde exheredatio propter deficientem iustam valere non potest.



CAROLO GOTHOFR. THEOD.
CHLADENIO


S. D. P.

D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER.


Huc usque summa cum laude tractasti studia. Te enim, quamdiu frequentasti lectiones meas, assiduum et discendi cupidum auditorem cognoui. Peracto studiorum cursu, dum ad praxin forensensem aspirare volebas, specimen aliquod confecisti, et ut me testem eruditionis haberes, voluisti. Rogatus summa cum voluptate accessi, quoniam fas erat, viro, quem singularis eruditio, pariter ac humanitas commendat, assistere, et laudem eius, qui non eget encomio celebrare. Non eges enim mea laude, quod conscripisti, ipsa potius res loquitur. Suscepisti materiam, in qua pertractanda vehementer disceptant Doctores, et quo maior est disceptatio, eo maiorem Tibi vindicas gloriam in decidenda causa, a vulgari discussione maxime alienam. Nihil vel tan-

C

tum



tum paucissima, quod sponte profiteor, addidi, ut quilibet animaduertat, Te proprio Marte haec confecisse, et victoriae laudem Tibi vindicasse. Non adulantium more, quod saepe euenire solet, hoc dico, veritate commotus id, quod Tibi debetur tuiuo. Glatulor hunc diem, has primitias laboris ex animo, et ut maiores eueniant honores, non solum opto, sed certe quoque spero. Conseruet supremum numen quod sancte veneror, si vota mea aliquid efficiunt, Virum illustrem et Magnificum, ERNESTVM MARTINVM CHLADENIVM, Virum, sanguine iunctum, quem merita immortalem reddant, et quem ego pie veneror, per innumeram annorum seriem, sospitem atque incolumem, et id quod mortalibus contingere solet, longe abesse iubeat. Sic valebit Academia, quae praeside consummatissimo huc usque floret. Me vero, ut et in posterum amicitiae Tuae, qua mihi nil gratius, nilque incuudius contingere potest, commendatum habeas, summo opere rogo. Vale. Scribebam d. XXIV. Mart. MDCCLXXXI.



Leipzig, Diss., 1781

ULB Halle

3

005 361 443





1781,20

DE
EXHEREDATIONE LIBERORVM
AD ALIAS CAVSAS, IN
NOV. CXV. NON EXPRESSAS
EXTENDENDA.

SCRIPSIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

A. D. XXIV. MART. AN. MDCCCLXXXI.

P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. O. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVLARI

CVRIAE IN PROVINCIA SVPREM. ASSESSORE

FACVLTATIS IVRIDICAE SENIORE

ET ACADEM. DECENV.

A D D I S P V T A N D V M

PROPOŒVIT

CAROLVS GOTHOFR. THEODORVS
CHLADENIVS

HAYNA-MISNICVS.

LIPSIAE,

PRELO HOLLIANO.

*Celeberrimo Breitkopfio
Hautmanni*

